ORDINIS MEDICI IENENSIS

H. T.

EX-DECANVS

ERNEST. ANTONIVS NICOLAI

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PRAENOBILISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI

MICHAELIS LVDOVICI WITTWERK

GEDANENSIS

DIE IV OCTOB. CIↃIↃCCLXXXIII.

PVBLICE HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE

VSV AQVAE FRIGIDAE EXTERNO.

II.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNIANIS.



Pergam in caſuum, quibus vſus aquae externus profuit, enarratione praecedente coepta programmate. Furorem et maniam glacie capiti impoſita, aqua frigida capiti infuſa, fomentis ex ea factis capitique applicatis et balneis frigidis ſanatam eſſe, obſervationibus compertum eſt, quas adduxi in libro, quem inſcripſi Recepte und Curarten. Experientiſſimum D. D. HAHN eodem modo in Sileſia plurimos curaſſe maniacos Celeberrimus THEDEN *a*) refert, qui etiam ipſe eius auctoritate adductus maniacum quendam balnei frigidi ope, inprimis vero glacie capiti impoſita, in integrum reſtituit. Egregiam utilitatem, quam prae-

a) Neue Bemerkungen und Erfahrungen 1776. Berlin S. 142, et ſeq.

praeſtat vſus aquae frigidae in furore uterino, probat caſus iſte, quem mihi retulit Vir Excellentiſſimus artisque medicae et chirurgicae exercitio maxime celebris D. D. WEINECK, Sereniſſimi Ducis Saxo - Coburgenſis et Saalfeldenſis Conſiliarius et Archiater, Medicus ordinarius et Phyſicus Ptochotrophei Leuchtenburgenſis de foemina, nobili genere nata, florentis aetatis, viginti ſex annos natae, libidini et ſimul ſtudio pietatis valde deditae, ita, vt animus affectibus valde ſibi repugantibus agitaretur. Amore inſano incenſa omnem ponebat pudorem, canebat carmina feſcennina, inepta ac ſtulta faciebat et loquebatur a decore et honeſtate aliena geſtusque agebat, qui libidinem prodebant, quorum omnium eam ad ſe redeuntem poſt maxime poenitebat, et conſcientia ita excruciabat, vt ſummis conficeretur angoribus et de ſalute aeterna deſperaret. Nimius eius amor ſaepius in furorem abibat, quo non memorata ſolum ſalacitatis indicia manifeſtabat, ſed vehementibus etiam convulſionibus agitabatur, vt aliquot robuſti homines ad eam continendam at coercendam vix ſufficerent, facies rubore perfuſa, aſpectus horridus, oculi ſanguine ſuffuſi truces et feroces, pulſus admodum vehemens et celer, maxime durus et tenſus, ſanguinis motus aeſtus et rarefactio ingens, ac omnes fere partes in maximo motu conſtitutae animadvertebantur. Hic

 paro-

paroxyſmus ſingulis diebus ter vel quater redibat. E vena ſecta multum ſanguinis eſt miſſum et remedia antiphlogiſtica omniaque, quae prodeſſe credebuntur, adhibita fuerunt, ſed ſine omni ſucceſſu. Tandem omnibus fruſtra tentatis incidit modo laudatus D. D. WEINECK in vſum aquae frigidae, quam inſtrumenti ope ter quater vel quinquies de die in anum et vulvam injici ac fomentorum forma capiti raſo, partibus genitalibus et abdomini applicari juſſit, ita, ut toties fomenta frigida, quoties calefiebant, nova aqua frigida imbuerentur ac imbuta applicarentur, quo aquae frigidae vſu furor uterinus feliciter fuit curatus. Neque in hoc rerum ſtatu, ubi inflammatio, ſaltim in partibus genitalibus, aut adfuit aut inſtitit, aut, ſi nullam inflammationem aſſumere placet, aeſtus tamen, motus ſanguinis et rarefactio maxima fuerunt, aqua frigida iterum iterumque quocunque modo applicata nullum praeſtantius inveniri potuit remedium, quia aeſtum, ſanguinis motum et rarefactionem egregie temperat, vaſa roborando et conſtringendo inflammationes diſcutit, et, ſi qua pars ex topica debilitate ſaepius inflammatur, aqua frigida maxime conducit. Illuſtris SARCONE *b*) ad varios provocat caſus, ubi in pecto-

b) Geſchichte der Krankheiten von Neapel 1770. p. 208. 224. Tom. III. §. 837. et Tom. I. §. 236. 264.

pectoris et pulmonis inflammationibus epithemata ex nive, aqua nivis et gelida pectori, ac in hepatis et ventriculi inflammatione, praesertim rheumaticae indolis, abdomini impositis summo cum fructu adhibita fuerunt et Clarissimus HAHN *c*) ex aqua frigida et glacie pectori applicatis quendam pulmonis inflammatione correptum magnum sensisse levamen narrat. Celeberrimus THEDEN *d*) erysipelaceas inflammationes praemissa venaesectione aqua frigida applicata feliciter curavit, id quod etiam optimo cum successu fecit Clarissimus D. D. BOENNECKEN *e*) qui historias nonnullas addit, vbi erysipelas iam iam exulceratum aqua fluviatili fugavit. Placuit haec praemittere occasione actus sollemnis publice intimandi

PRAENOBLISSIMI MEDICINAE

DOCTORANDI

MICHAELIS LVDOVICI WITTWERK

GEDANENSIS,

qui sequens curriculum vitae et studiorum exhibuit:

Ego

c) l. c. p. 116.
d) Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunst und Medicin S. 147. 148.
e) Fränk. Sammlung. 5ter Band. 44. St.



Ego Michael Lvdovicvs Wittwerk *primam huius universi lucem adspexi Gedani, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, die vigesimo primo Iunii. Patrem veneror* Michaelem Wittwerk, *Doctorem medicinae civemque urbis Gedanensis dignissimum, matrem* Elisabeth Rahel *ex stirpe* Gorzvchowskiana, *nunc inter coelites triumphantem. Optimi hi parentes omnem adhibuerunt operam, ut a primis statim pueritiae annis religionis christianae praeceptis et litteris humanioribus imbuerer. Hunc in finem privata dignissimorum virorum instructione prima ieci fundamenta, donec satis instructus in Gymnasium illustre, quod Gedani floret, me contuli, ibique praelectiones celeberrimorum virorum* Stravsii, Sendelii, Bartholdi, Cosak *et maxime reverendi* Verpoortenii *frequentare, quibus pro singulari in me benenevolentia maximas, quas mente concipere possum, habeo gratias. Sic ad altiora praeparatus anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono Ienam me contuli et a summe reverendo* Griesbach, *fasces tunc academiae tenente, in numerum civium academicorum sum receptus. Primum praelectiones philosophicas Illustris* Vlrich, *mathemathicas Illustris* Widebvrg, *et physicas Illustris* Svccow, *maximo cum fructu et summa cum voluptate frequentavi. In medicina forensi Illustrem* Nicolai, *in pathologia, semestica, historia medicina, therapia tam generali quam speciali Illustrem* Grvnervm *audivi, fautorem ac praeceptorem meum summopere colendum, ex cuius ore has doctrinas hausisse mihi vehementer gratulor. In anatomia et arte obstetricia nec non in historia naturali Illustris* Loder *me erudivit. Ex praelectionibus*

Excel-

Excellentiſſimi Starkii *ad cineres vsque venerandi in phyſiologiam, materiam medicam, pathologiam, therapiam generalem, artem formulas conſcribendi medicas, et praxin clinicam inſignes conſequutus ſum fructus, cuius ſub auſpicio quoque praxin artis obſtetriciae in nosocomio obſtetricio per annum exercui, nec non collegium diſputatorium, quod ſub digniſſimi huius viri praeſidio floret, frequentavi. In chirurgia tam manuali quam medica Excellentiſſimum* Hallbaverum *ducem habui, et denique Experientiſſimi Dm. D.* Schenkii *chemiam phyſico - experimentalem, oſteologiam et botanicam docentis fui auditor. Omnibus praeceptoribus meis maximas, quas poſſum, gratias ago; iisque omnem ſalutem ac proſperitatem precari nunquam omittam.*

Poſtquam examina cum laude ſaſtinuit, vnanimi conſenſu dignum cenſuimus, qui ſummis in arte noſtra, quos petiit, honoribus exornaretur. Ad quos rite capeſſendos die IV Octobris diſſertationem ſuam inauguralem de *cauſis maniae et melancholiae dubiis in medicina forenſi caute admittendis* Praeſide Viro illuſtri excellentiſſimo atque experientiſſimo CHRISTIANO GODOFREDO GRVNERO, *Sereniſſimi Ducis Saxo - Vinarienſis ac Iſenacenſis Conſiliario Aulico, Botanices et Theoriae medicae Profeſſore publico ordinario Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum et Moguntinae ſcientiarum vtilium*



vtilium nec non societatis academicae principalis Hassiacae sodali rel. publice defendet. Vos autem, MAGNIFICE ACADEMIAE PRO-RECTOR, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI COMMILITONES, HOSPITES OMNIVM ORDINVM LITTERARVMQVE PATRONI AC FAVTORES HONORATISSIMI, quo decet ac par est, honoris cultu atque humanitate rogo atque obtestor, vt vestra perhonorifica praesentia hunc actum exornetis. Quem favorem et ordo noster et Praestantissimus Dominus Candidatus aestimabunt decentissime mutuisque officiis, data occasione, inserviendi animum declarabunt. P. P. Ienae, die XXX Septembris, CIↃDCCLXXXIII.

